

*Manducavimus et bibimus cum illo
postquam resurrexit a mortuis.*

Léctio Actuum Apostolorum

10, 34a. 37-43

In diébus illis:

^{34a} Apériens Petrus os dixit:

[34b-36]

- ³⁷ «Vos scitis quod factum est verbum
per univérsam Iudæam incípiens a Galilæa
post baptísmum, quod prædicávit Ioánnes:
³⁸ Iesum a Názareth,
quómo do unxit eum Deus Spírítu Sancto et virtúte,
qui pertransívit benefaciéndo
et sanándo omnes opprésos a Diábolo,
quóniam Deus erat cum illo.
³⁹ Et nos testes sumus
ómni um, quæ fecit in regióne Iudæórum et Ierúsalem;
quem et occidérunt suspendétes in ligno.
⁴⁰ Hunc Deus suscitávit tértia die
et dedit eum maniféstum fieri
⁴¹ non omni pópulo, sed téstibus præordinátis a Deo,
nobis, qui manducávimus et bíbimus cum illo
postquam resurréxit a mórtuis;
⁴² et præcépit nobis prædicáre pópulo et testificári
quia ipse est, qui constitútus est a Deo
iudex vivórum et mortuórum.
⁴³ Huic omnes Prophétæ testimónium pérhibent
remissiónem peccatórum accípere per nomen eius
omnes, qui credunt in eum».

Verbum Dómini.